



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt VIII. Verbum Abbreuiatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

locus iuxta eam interpretationem, redolet sensum propositum.

vsus doctrinae.

344. *V*sus doctrinae is esse debet, ut Deo naturae nostrae infuso, deinceps diuina opera producamus, & de polita agresti conditione manifestemus. Constat tales fructus ex infusis plantis fructus existere quales sunt plantae: & quia petrus est fureculus. Sic pyrus excepto malis tunc de uince, & ex salice perlica. Cicurari quodque infusione arbores, ita ut etiam aculeos amittant, & quibus armanur, fructusque ferant & meliores, & grandiores acque celerius, notat Colerius lib. 2. de vniuersa stirpe. natu. cap. 5. Idem ut per hanc supernaturalem infusionem contingat, curandum est.

Nylenus concinne homil. 4. in Cant. ad illud, *Sicut malus inter ligna siluarum*, obseruat Christum id habuisse propositum, ut nos omnes tanquam agrestes sylvarum canos sibi inferens, efficiat bonae frugis ac mites arbores, quod assequemur si Christi imitatione pars nostri potior ac diuina, retinemus ad se vertat, & diuinum fructuum capacem reddat.

CAPVT VIII.

Verbum Abbreniatum.

*V*erbi abbreviati mentio est apud Isaiam c. 10. cum ait: *Reliquia conuerterentur; reliquia inquam, Iacob ad Deum ferent.* Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquia conuerterentur in eo: consummatio abbreviatio vnde dicitur infusum. Consummationem enim & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio montis terrae. Hunc locum adducit Apostolus Rom. 9. *Isaias* (inquit,) *clamat pro Israel: si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquia salua fient: Verbum enim consummans & abbrevians in aequitate; quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Eam verbi abbreviationem, non pauci ad Verbi diuini quasi conuersionem, per incarnationem, referunt. Alij quauis ad Christum referant, non tamen ratione incarnationis: Sicut etiam qui nullo modo ad Christum pettinere putent.

Varia per Deum Verbi abbreviationes, non de Christo.

345. *N*egant ea verba ad Christum spectare, qui vocem *Abba* quam interpres reddidit *Verbum*, a iure significare rationem sine rationum aut supputationem; quod voluerit Apostolus, etiam si numerus Israelitarum esset ut aene matris, hoc est immensius, tamen reliquias futuras saluas, quia qui rationes subducit, qui inquam rationem consummat & abbreviat, est Deus ipse. Vnde omnes Filios Israel exquisitissime numerabitis, & paucissimos illos qui inter immensas percuniarum multitudinem electi fuerint, subducet, & salute potius, faciet. Salutem paucorum Israelitarum inter innumerabiles pereuntes ex ea gente, Arabes ac Syri in sua loci illius Apostolici interpretatione, propositum fuisse Apostolo agnouerunt; sed aliter acceperunt Verbum abbreviatum. Nempe ita ut idem sit, quod *Verbum definitum ac fixum, licet subiectum oratione.* Quo fere modo Galli dicunt, vno verbo sic placet: *Il ny a qu'un mot, ie le veux, cela sera.* Quam interpretationem loci Apostolici, maxime approbat Morauen. lib. 1. de Trinit. cap. 3. in fine, ad 3. argumentum Arrianorum contra Filij diuinitatem.

Non pauci item, ad Euangelij breuitatem praeparatam legis laciniosa amplitudine, Verbi breuiationem ad Isaiam & Apostolo propositam, referunt; iuxta illud

S. Bartholomaei relatum à D. Dionysio l. de mystica Theologia c. 1. [Theologia plurima & minima; Euangelium latum & magnum; paruumque & concisum.] Vbi Theologia plurima & minima, D. Dionysio interprete, idem est quod expressio Dei maiestatis, & multorum & paucissimorum, vel etiam nullorum verborum indiga. Euangelium verò *amplum & breue*, dicitur ob eam quam dicebam tam multorum complexiorem in tam paucis praeter Lege veteri. Neruose pro more Tertullianus l. 4. contra Marcio. cap. 1. citato Isaiam loco praedicto. [Quoniam (inquit) decisum sermonem faciet Dominus in terra. Compendiatum est enim nouum Testamentum, & à legis laciniosis oneribus expeditum.]

346. At S. Cyprianus l. de orat. Dom. num. 79. ad formam breuiatam orationis & legum à Christo propositam, haec loca reulit, sic scribens. [Quid mirum fratres dilectissimi, si oratio talis est quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem precem nostram salutari sermone breuiavit? Hoc iam per Isaiam Prophetam fuerat antè praedictum, cum plenus Spiritu sancto de Dei maiestate ac pietate loqueretur. *Verbum consummans, (inquit) & breuians in iustitia quoniam sermonem breuiatum faciet Deus in toto orbe terrae.* Nam cum Dei sermo, Dominus noster Iesus Christus omnibus venerit, & colligens doctos pariter, & indoctos, omni sexui & aetati praecipua salutis ediderit; praepiorum suorum fecit grande compendium, ut in disciplina caelestis dilectionum memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium, velociter disceret. Sic cum doceret quid fit vita aeterna, Sacramentum vitae magna & diuina breuitate complexus est, dicens: *Hac est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum ac verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Item cum de lege & Prophetis, praecipua prima & maiora decerneret: *Audi* (inquit,) *Israel Dominus Deus tuus, Dominus unus est. Et diliges Dominum Deum unum de toto corde tuo, de tota anima tua & de tota virtute tua; hoc est primum & secundum simile huic; Diliges proximum tuum tanquam te.* In his duobus praeceptis tota lex pendet & Propheta. Et iterum. *Quicumque volueritis, ut faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis.*]

Rufinus initio explicationis in Symbolum, per Verbum abbreviatum à Deo factum super terram, intelligit regulam fidei siue Symbolum Apostolorum, tam paucis tam multa complexum. Idem egregie habet Cassianus lib. 6. de incar. cap. 3. [Symbolum quippe (inquit,) ut scis, ex collatione nomen accepit. Quod enim Graece, *σύμφορον* dicitur, Latine *collatio* nominatur. Collatio autem idem, quia in vnum collata ab Apostolis Domini, totius Catholicae legis fide, quidquid per vniuersum diuinorum voluminum corpus immensa funditur copia, totum in Symboli colligitur perfecta breuitate; secundum illud Apostoli; *Verbum, (inquit,) consummans, & breuians in aequitate: quia Verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Hoc est ergo breuiatum Verbum quod fecit Dominus; fidem scilicet duplicis Testamenti sui in pauca colligens, & sensum omnium Scripturarum in breuia concludens, sua de suis condens, & vim totius legis compendiosissima breuitate perficiens: consulens scilicet in hoc, ut pissimus Pater, vel negligentiae quorundam filiorum suorum, vel imperitiae; ut non laboraret utique quamvis simplex, & imperita mens capere, quod possit facile etiam memoria contineri.]

Sed hoc non est regulae fidei particulare. Nam S. Ephrem serm. de margar. pretiosa, demiratus quod ex vno margaritae nomine, tam multa de Deo & Apostolo & regno caelorum denucisset, ait: [Deum patrem, agricolam, & opificem, & mercatorem, & figulum, Mediatorem, accreditorem, praemiorum distributorem, & munificum, nostra appellauit oratio. Magnum]

gnum sanè Domini verbum, duobus verbis tantam scientiæ vim concludens. Rursusque margarita sit nobis Evangelium, quia simplici ac minuta litera tantam mysteriorum vim continet; & in vili atque abiecta chartula, cœlestis continetur scientia. Afferuntque Hæretici, Filium Dei indignum censuisse assumere naturam humanam. Cœlum Deus chartæ commisit: & Filium, humanam fumere naturam non permisit? Chartulam & chartam appellat Evangelij locum, quo margaritæ nomen tot sæculi mysteriis, tot grandium Sacramentis, reperitur adscriptum. Itaque de toto Verbo revelato aprius quàm de solo Symbolo sumitur ea abbreviatio, ut præter citatos fecit S. Athanasius in Plal. 44. cuius hic locus refertur à Nicæta Heracleensi in Catena Plalmonum: [Velo est calamus Patris; Lex namque nobis per ductus literarum perobscure significavit ea, quæ ad utilitatem hominum faciunt. Saluator verò communis, in compendio declaravit nobis voluntatem Patris. Est enim magni consilij Angelus. Et Verbum (inquit) abbreviatum faciet Dominus in universo orbe.]

Abbreviatio Verbi de Christo, alia ab Incarnatione.

347. Tot igitur sunt, Verbi illius abbreviati cuius Isaias & Apostolus locis allegatis meminerunt, expositiones; quæ non aequè omnes præsentis instituto inserviunt. Ac ne illorum quidem interpretationes, qui Verbum abbreviatum ad Christum ipsum referunt, omnes ad rem nostram faciunt. Nam S. Chrysostomus hom. 1. in ep. ad Ephes. in fine, eodem pertinere censet hanc Verbi abbreviationem, quo illud Apostoli cap. 1. Ephes. *Redemptionem quam proposuit in ipso, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo.* Ita ut idè sit abbreviatio verbi in Christo, quod omni in eo instauratio. Locus Chrysostomi sic habet, ἀνακαταστάσεως; ait. Quid est ἀνακαταστάσεως coniungere. Caterum studeamus quàm proximè accedere ad ipsam veritatem. Nam à nobis quidem, ut etiam in more est positum, dicitur ἀνακαταστάσεως, quæ prolixe dicta sunt, compendiosè dicere. Nam hoc quoque ita habet. Quæ cui longo tempore dispensabantur in ipso ἀνακαταστάσεως. Hoc est, in summam redegit & compendium. Verbum enim consummans, & in iustitia abbrevians, & illa comprehendit, & alia addidit. Hoc est ἀνακαταστάσεως, & reductio in summam.]

Recidit propè hæc abbreviatio, in proximè propositum Evangelij compendium; nisi quod non de lege nova à Chrysostomo traditur, sed de ipso Christo, in quo Deus breviter & summatim complexus sit quæ omnibus retroactis sæculis in cœlo & in terra perfecterit. Quod fert illa loquendi formula: *In dispensatione plenitudinis temporum.* Hoc est, cum ea quæ dispensarat & constituerat effici, completa edat, voluit omnia recapitulare in Christo; in quo omnia antèrùs gesta, velut longiores numeri in brevem summam redacti, cernuntur. Et verè quicquid in priscis sacris historiis illustre fuit, quicquid in lege venerandū, in tēplo sacrum, in sacrificiis pium, in Patriarchis, Prophetis & Iustis præclarum, in ipsis etiam cœlestibus spiritibus præcellens, multò illustrius & venerabilius in Christo est proditum brevi compendio. Eam ob ipsam causam dictum esse Christum Rom. 9. *Finem legis, & consummationem, perfectionem*: Item *Consummationem sermonum in omnibus*, Ecclesiastici. 5. censent nonnulli, adducendi lib. 5. f. 3. cap. 1. Consummationem namque ac finem sermonum, exponunt compendium. Ut videti sanè possit Deus, iuxta edōs, illas ipsas utilitates compendiorum quas celebrant qui breviores audierunt, consecrari hoc compendio conficiendo voluisse. Apud Solinum in præfatione in Polyhistorum ad Au-

ctium, sic exprimitur compendij utilitas [Liber est ad compendium preparatus, quantumque ratio passa est, ita moderatè repressus, ut nec prodiga sit in eo copia, nec damnoſa concinnitas: cui si animum propius intenderis, velut fermentum cognitionis magis ei inesse, quàm bractæas eloquentiæ deprehendes] Perpolare item Photius Cod. 216. ex Oribasij epistola ad Iulianum Apostatam, cuius iussu Galenum contraxerat in compendium, utilitatem compendiorum ex eo aperit, quod per ea & temporis luctum fiat, & facilis non exigua pateat ad ediscendum, vel recolendum quæ quis antèrùs didicerit. Ea facilitas addiscendi omnem veritatem, & omnia per legem longis circuitibus & magno sæculorum ductu prodita, cogendi in arctum, & vno obrutu perspicendi, ac omnia brevissimè recolendi, habetur per Christum eximia. Idque spectasse Deum, cum hoc nobis compendium confecit, dubitare non licet.

Germanissima Verbi abbreviati notio in Incarnatione.

348. Placet, ita non spernere propositas interpretationes Verbi abbreviati, ut tamen multò magis probem aliam quæ Patrum plurimorum est, & Verbum abbreviatum accipi de Verbo Dei ad humanitatem assumptam velut contraçto. Vnde fortissimè ratio deducitur ad Prophetæ & Apostoli intentum, quod erat probare, reliquias populi Israëliti etiam obduratissimi, salvas fore. Nihil enim poruit ad eam rem confirmandam proponi aptius, incarnatione Verbi, ac redactione in angustum ad operis illius executionem. Est profectò Deus, infinitè protensus quomodocunque: siue spacia loci, aut temporis, siue dignitatem spectemus; & tamen arctavit se in infinitum. [Disce (inquit Chrysostomus homilia in Eutrop.) quæ sunt Divinitatis, & sapienter intellige quæ humanæ sunt dispensationis. Nimirum, ut scias quis erat, & quis factus fuerit tui causa, & ne res ipsas confuderis; neque assumptionem tantæ erga nos benignitatis, veritas in occasionem blasphemæ. Eius natura sublimis erat, & eadem facta est humilis: sublimis non loco sed natura, nulla poterat labefactari violentia mortis. Essentia nulli erat obnoxia interiectioni, aut corruptelæ patens natura, incogitabilis, inuisibilis, incomprehensibilis, semper existens eodem modo; transcendens Angelos, supernis illis virtutibus superior. Cogitationem vincit, intelligentiam transgreditur, videri non potest, fide tantum potest apprehendi. Cernebant Angeli, & intremiscebant. Cherubim agmina omnia cum timore alas suas submittiebant; Super terram ipsam aspicebat; & eam tremore concutiebant; Minas intentabat mari, & exiccabat, fluvijs ex deserta terra educebat, montes statuit in pondere, & colles in statera. Quoniam modo singula eloquar; Qua loquendi formula, omnia representabo? Maiestas eius, finem non habet, sapientia eius nullo concluditur numero, iudicia eius imperuestigabilia, vitæ eius inscrutabiles. Atque hic tantæ, imò immensæ maiestatis, (siquidem hoc citra periculum dici potest,) tantus talisque est. Sed quid tandem faciam? Homo sum, & hominum more eloquor. Tantillam possideo linguam. Ignosci mihi efflagito à Domini benignitate. Hisce dicendi formulis neutiquam usus sum per arrogantiam, sed eo sum adductus perplexitate infirmitatis & ingeniæ hebetudinis linguæ nostræ. Propitius mihi esto Domine. Non enim intolerantia animi usus, has pronuncio sententias. Atqui alias non habeo. Verumtamen non acquiesco isti qualicumque elocutioni, sed præpete ala intelligentiæ ad superiora conscendo.] Tantus tamque expasus vndeunque & quomodocunque Dei Filius, quàm in arctum se redegit ac brevavit.

Non

Non potuit sanè maior vlla breuiatio tam ampli-
tateque expassi verbi Dei concipi, quam vt idem qui
expallus erat & diffusus per omnia loca, arcaretur
ad vnus corpusculi angustias: velut qui omnibus
seculis erat anterior, fieret infans vnus diei super
terram: Is denique cuius erat honor & gloria, ad
stibulum & præsepe indecorus & inglorius deice-
retur. Et quamuis ipsum in se Verbum, sit semper
& immensum, & æternum, & gloriosissimum; ta-
men illa ipsa persona in quam omnes prædictæ am-
pliores cadunt, verè dicitur contracta & abbre-
uiata, quoad alteram naturam in qua præter Dei-
tatem subsistit. Vides insignem breuiationem, &
cui nulla excogitari, nedum dari queat similis. Est
enim hæc, vt alia occasione dixit S. Hilarius in Psal. 14.
Breuitas locuples & infinita.

Celeberrimè sanè, vel huius vel anterioris æui,
breuiationes quedam: sed quæ nihil, proflus in-
quam nihil ad istam. Franciscus Aluminus, vt scri-
bit Genebrardus in Carolo V. Et Adrianus Ianius
lib. 1. cap. 7. in denariolo, sine notis scripsit Sym-
bolum Apostolorum, & principium Euangelij S. Io-
annis. Addique Ianius, vidisse se cerati nucleum,
in modum quasi exculpum, quo continerentur
quindæm paria reseruarum affabè distincta suis
poculis. Horologium rotatum, annuli pala inclu-
sum, in Carolo V. sigillo suspexit seculum superius.
Is nuce inclusam Iliada Homeri in membrana scri-
ptam, tradidit ex Tullio Plinius lib. 7. cap. 21. vbi
etiam de Myrmecide, à quo quadriga est fabricata
ex chore, quam mulca inregebat alis: & nauis cum
vniuerso apparatu, quam apicula pinnois absconde-
bat. Quendam suo tempore, in annulo perexig-
uo Phærontem quatuor inuictum equis sculptis-
se, scribit Galenus lib. 17. de vfu partium in fine,
siquæ fuisse spectaculum sanè incredibile. Verùm quid
hæc contractiones & abbreviationes omnes, ad
digni Verbi abbreviationem, illæta & nullatenus
sæcia sanima eius amplitudine & infinita expan-
sione.

*Suffragia Patrum de hoc sensu Verbi
Abbreniatu.*

349. Fuit (vt dixi,) ea Verbi abbreviati interpre-
tatio plurimorum Patrum, è quibus paucos anno-
tato. Idacius Clarus aduersus Variamadum dispu-
tans, sic habet. Verbum breuiatum quod Domi-
nus facit super terram, non immutationem Dei-
tatis in Filio Dei significat, sed dispensationem su-
per carnis aduinciat. In qua dispensatione, non
solum Patri hominis Filium, sed etiam Angelis legi-
mos minoratum. Paulo Apostolo protestante: *Eum
autem qui mundè, & maius quam Angeli minoratus est,
videmus lesam propter passionem mortis gloria & honore
coronatum.* Et infra: *propter quam causam non confundi-
tur fratres eos vocare, dicens: nunciabo nomen tuum fra-
tribus meis, in medio Ecclesie laudabo te.* Et in Psalmo
eccæ: *Monstrum paulo minus ab Angelis gloria &
honore coronatus est.* Et vt Verbum Dei Patris, bre-
uiatum non esse in Filio decemus, ex Eliaze Pro-
phetæ volumine sententiam approbamus. *Nunquid
abbreviatus factus est sermo meus, aut parvus, vt non pos-
sum redimere. Aut non est in me virtus ad liberandum, di-
ci Dominus omnipotens?* Et iterum: *Hæc dicit Dominus
Deus omnipotens: nunquid abbreviata est manus mea, vt
saluare non possit. Aut non potest viuificare cor humilium,
& spiritum contritorum?* Et vt brachium Patris quæ
manus est, Filium esse doceret, intulit dicens: *Para-
uit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium*
Theoph. Raynaud. Christus.

gentium, & videbunt omnes fines terræ, salutare eius.
Non potuit explicius docere breuiationem diuini
Verbi secundum Dicitatem, esse explodendam. Eius-
dem tamen breuiationem ratione humanitatis as-
sumptæ, agnosci ac celebrari in Scripturis: addit
Idacius, ad Verbum breuiatum pertinere quoque
paruum & exiguum tempus, quo Christus tam mul-
ta aduersus satanam & peccatum pro salute nostræ
perfecit: nec non breuiationem in oratione, docens
orare præciso multiloquio: Exploditque sensum Ar-
rianorum, qui Verbi breuiationem aiebant designare
Verbum Dei esse minus & inferius Patre, non tan-
tùm quoad humanitatem assumptam, sed etiam in Di-
uinitate.

Eadem Arrianorum quoad rem hanc impugnatio,
& Verbi abbreviati expositio, totidem prope verbis
quibus in prædicto opere ab Idacio est tradita, legitur
apud Anacletum epistola 2. in fine. S. item Cyprianus
lib. 2. testimoniorum aduersus Iudæos num. 3. Ab-
breuiationem de qua agimus, in ipsummet Christum
cadere, in loco Ilaie prolato, atque aded etiam in
loco Apostoli Ilaam adducens, apertè agnoscit.
Nam Christum esse Dei Verbum, in ipsummet Christum
probat cum ex alijs locis, tum nominatim ex hoc lo-
co Ilaie quo Deus dicitur facturus Sermonem abbre-
uiatum. Ex S. Bernardo, eundem Verbi abbreviati
sensum, pulchrè omnino prosequente, pauca dum-
taxat adducam. Ita habet serm. 1. de nativ. Dom.
[Grandis quidem est, dilectissimi, hodierna Domi-
nicæ natiuitatis solemnitas. sed di-
gnis brevis cogit breui-
tate sermonem. Nec mirum, si facimus nos breue
verbum, quando & Deus Pater, Verbum fecit ab-
breuiatum. Vultis nosse quàm longum, quàm bre-
ue fecit? Cælum (inquit hoc Verbum,) & terram
ego impleo. Nunc caro factum, in angusto locatum
præsepio est. A sæculo (ait Propheta) & usque in sæ-
culum tu es Deus: Et ecce factus est infans diei vnus.] Si-
militer Verbum abbreviatum accepit serm. 3. de An-
nunc. Idemque habent Etherius & Beatus lib. 1. con-
tra Elipandum pag. 347.

*Contractio ad foramen prædictæ
Abbreniationis adum-
bratio.*

350. Hoc planè fuit, manum omnia comprehen-
dentem per foramen angustissimum mittere. Quod
Gregorius Nyss. hom. 11. in Cant. ad hoc mysterium
accommodat, tractans illud: *Dilectus meus misit manum
suam per foramen, & venter meus contremuit ad tactum
eius.* [Arbitror (inquit) per sponsæ domum, intelligi
totam vitam humanam. Et conditricem illam rerum
omnium manum, quasi peregrinatione suscepta, in
hominum vitam exilem, & nullius momenti, seip-
sam velut arctius contraxisse, idque in eo quod per
omnia naturæ nostræ particeps fieret, excepto pec-
cato. Itaque posteaquàm ad nos accesserit, conster-
nationem quandam, & admirationem, rei nouæ in
animis excitasse. Quæ fiat vt Deus in carne mani-
festè conspiciatur? Quæ Verbum illud fiat caro? Quæ
partus in virginitatem, virginitas in matrem cadere
possit? Quæ cum tenebris lux misceatur, cum mor-
te vita temperetur? Quæ pusillum vitæ foramen,
possit continentem vniuersum hoc, manum capere.
Quæ cælum omne metitur, terram omnem, & om-
nem aquam complecti? Quare consentaneum est,
Euangelij gratiam, per manus ænigma, nobis à sponsa
quasi vaticinante significari. Quo enim tempore con-
spectus in terra Dominus, & inter homines versa-
tus est, puritatem & pulchritudinem sponsi expertem
S. rerum

terum crassarum, itemque Verbi Diuinitatem & veri luminis splendorem, per manum illam effectio-
num agnouimus. Manum enim intelligimus, vim
miraculorum perfectricem, qua mortuis vita dona-
batur, oculi cæcorum restituebantur in integrum,
lepræ morbus fugabatur, omne genus incurabilis ac
grauis ægitudinis solius imperij vi corporibus exce-
debat.] En quanta manus illius immensè parentis
contractio, quanta ad angustissimum humanitatis fo-
ramen breuiatio.

Eodem modo foramen illud angustum ad quod se
Dei Verbum per incarnationem redegit, exponunt
plerique apud Deltium ibi. Et concinit quod S. Grego-
rius ad illud Cant. 2. *In foraminibus petra*, ea foramina
esse incarnationem annotauit. Origenes verò hom. 4.
in Psal. 36. hoc esse ait, quod Deus Mosi promisit cum
dixit: *Ponam te in foramine petra*. Hoc enim foramen
breuissimum, petra quæ Christus est, ait fuisse incar-
nationem, per quam conspiciendus erat Deus, qui in
se manens, mansisset inuisibilis. Idem repetit hom. 12.
in Ierem.

*Sed maxime contractio Elie ad oran-
dum, & Elisei super
puerum.*

351. Quantum arbitror, præsignauit hanc Verbi
Dei breuiationem, ea contractio qua se Elias 3. Reg.
18. composuit ad precandum cum *pronus in terram*,
posuit faciem suam inter genua sua. Eam enim orationem
& visionem nubeculæ, quæ tandem post sextum Mi-
nistri prospectum in mare apparuit; spectasse ad in-
carnationem fulsissimè prosequitur Ioannes Hierosol.
(quisquis denum sit,) l. de institut. Monach. cap. 32.
& seqq. Ea verò compositio, cum sit similis ei qua
infans intra materna viscera componitur, spectat ad
expressam a Propheta Verbi breuiati speciem, vt ea
Dei humanati imagine, Deum facilius exoraret. Sicut
etiam Samuel, effusione aquæ in terram, Verbi incar-
nationem præsignante, exorate adnitus est popu-
li lenamen. Et verò quorsum alioqui Elias, in eam
formam se composuisset ad orandum? Nam atten-
tio & collectio quam captasse dici posset vir sanctus,
non erat admodum operosa in vertice Carmeli, quo
vir sanctus cum puero solus ascenderat; & connitus
ac labor in situ illo retinendo, collectioni animi
potius incommo'dasset, quam eam inuisset, vt no-
tum est.

352. Est item præter cæteras celeberrima illa bre-
uiatio, qua se in typum breuiandi quandoque ad nos
uiuificandos Verbi diuini, Eliseus Propheta, vt ha-
betur 4. Reg. cap. 4. ad puerum mortuum contraxit:
non modò proiciens se vt mortuum erigeret, ei-
que condormiens vt frigido vitæ vapore restitue-
ret; quæ magna & mysteriorum plena Symbola, in
eo Elisei factò aperit S. Ambrosius in instit. Virg.
cap. 11. & epist. 17. alias tract. in cap. 4. Ecclesiasticis:
sed etiam quod alij plerique Patres graues profe-
quuntur, coarctans & abbrevians se ad pueri vita
functi mensuram: vnde conlectum est, vt quod
Prophetæ puer cum baculo præmissus perficere ne-
quiverat; (Moses inquam cum legis terrificæ pro-
positione,) excitatus sit mortuus, aspirata nouæ gra-
tiæ lenitate. Signo in hanc rem nonnullos Patres.
S. Hieron. in Psal. 97. [Mirabilia fecit. Vultis sci-
re, quoniam mirabilia fecit: Filius viduæ iacebat in
carnaculo. Venit Eliseus, & contraxit se, & os ad os
posuit, & manus ad manus, & pedes ad pedes. Si
enim expandisset se, non reuersus esset filius viduæ.

Idè se contraxit, vt viuificaret. Cum esset in forma
Dei, idè accepit formam hominis: idè se contraxit,
vt nos faceret latiores.]

S. Gregor. 9. mor. cap. 32. [A peccati morte, timor
nos suscitare non valuit, sed ad statum vitæ aspirata
mansuetudinis gratia crexit. Quod benè in Eliseo Sa-
namitis filium suscitante signatur; qui cum baculo
puerum mittens, extincto filio vitam minime red-
didit; per semetipsum verò veniens, seique super
mortuum sternens, atque ad eius membra se colli-
gens, huc illucque deambulans, & in ore mortui se-
pties aspirans, hunc ad rediunam lucem protinus
per ministerium compassionis animauit. Autor quip-
pe humani generis Deus, quasi mortuum puerum
doluisset, cum extinctos nos iniquitatis aculeo, misce-
ratus aspexit. Et quia per Mosén terrorem legis pro-
tulit, quasi per puerum virgam misit. Sed puer cum
baculo, mortuum suscitare non valuit, quia Paulo
attestante *Nihil ad perfectum adduxit lex*. Ipse autem
per semetipsum veniens, & super cadauer se humiliter
sternens, ad exequenda sibi mortui membra se
colligit: quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbi-
tratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit
formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus,
& habitu inuentus vt homo. Huc illicque ambulat,
quia & Iudæam iuxta, & longè politas gentes vo-
cat. Super mortuum septies oclat, quia per aper-
tionem Diuini munetis, gratiæ septiformis spiritum
in peccati morte iacentibus aspirat. Moxque viuens
erigitur, quia is quem terroris vitæ suscitare non
potuit, per amoris spiritum puer ad vitam rediit.] De-
scripsit verbatim S. Gregorius Rupertus lib. 4. de
officiis, cap. 22.

Prosper de promiss. 2. p. cap. 31. [Agit verò Eliseus
quæ sunt Dominicæ actionis Sacramenta. Mitit per
seruum suum baculum, qui supra exanime corpus
positum, mortuum vitæ restituit. Misit & Dominus
per Mosén seruum suum, legem, quæ mortuum
mundum, sicut ille baculus viuificare non potuit,
quia *si data esset lex, quæ posset viuificare*, vt Apostolus
dicit, *omnino ex lege esset infirmitas*, quia litera occidit, spi-
ritus autem viuificat. Postea ipse Eliseus descendit
magnus ad paruum, Saluator ad saluandum, viuus ad
mortuum. Descendit & noster Dominus: *Qui descen-
dit, ipse est, & qui ascendit super omnes calos, vt adimple-
ret omnia*, quæ mysticè gessit Eliseus. Vt enim mor-
tuum paruum suscitaret, iuuenilia membra contexit.
Et Dominus Iesus seipsum exinanivit formam serui
accipiens, paruum se illi paruo coaptauit, vt efficeret
istud corpus humilitatis nostræ, conforme corpori glo-
riæ suæ. Iacens subter se frigidum, suo calore succen-
dit. Similiter & noster Saluator Dominus mundum, à
cuius calore non est iam qui se abscondat. Insufflauit
ille tertio iacenti, vt trina confessio infunderetur cre-
denti. Sic suscitatus est mortuus, dum à morte perpetua
iustificatus est impius.]

353. August. sect. 11. de verb. Apost. [Attende Eli-
sæum in magno altoque mysterio, tanquam Pro-
phetam, agendo prænunciantem, non solum loquen-
do. Mortuus erat filius hospitiæ ipsius. Quid signifi-
cauit mortuus puer, nisi Adam? Nunciatum est san-
cto Propheta, gerenti in Prophetia typum Domi-
ni nostri Iesu Christi; misit per seruum, baculum
suum, & ait illi: *Vade, pone supra puerum mortuum*.
Perrexit ille tanquam seruus obediens. Sciebat Pro-
pheta quid fecerat. Posuit baculum supra mortuum;
nō surrexit. *Si enim data esset lex quæ posset viuificare om-
nino ex lege esset infirmitas*. Non ergo potuit lex viuificare.
Venit ipse grandis ad paruum, Saluator ad saluandum,
uiuus ad mortuum, venit ipse, Et quid fecit? Iuuenilia
membra

membra contraxit, tanquam seipsum exinaniens, ut fuerant ferri susciperet. Iuuenilia ergo membra contraxit; paruum se paruo coaptavit, ut efficeret corpus humilitatis nostrae, conforme corpori gloriæ suæ. Itaque in isto typo Christo prophetice expresso, cum suscitatus est mortuus, tanquam iustificatus est impii. Sicbi Augustinus Nec dissimiliter Conc. 1. in Psal. 70.

S. Chrysost. in Psal. 22. tractans illud: *Virga tua, & baculus tuus*; Baculum interpretatur legem Moisaicam, subdit: [Giezi ille puer sancti Helisei, cum mitteretur ad filium cuiusdam mulieris defunctum, baculum illi dedit sanctus Heliseus, ut resuscitaret puerum. Sed non potuit illum resuscitare baculo, nisi ipse veniret, & beuaret corpus suum, ut oculos suos ad infantis poneret oculos, os ad os, manus ad manus, pedes ad pedes, projectens se super puerum mortuum, & sic resuscitavit eum. Quid ostendebat de baculo, qui suscitare non potuit, nisi legis ostensionem? Et in Heliseo significabat Christi naturam, qui se habuit minorem, assumens quod non erat, non amittere quod erat, ut suscitaret mortuum, id est genus humanum, quod acceperat sententiam primi hominis, *Mors mortis*, Nam baculus, sustentatio est seculi. Et quia populus qui legem acceperat, secundum litteram intelligebat, & tremula membra in ipso baculo incumbant: quia littera occidit, spiritus autem vivificat: in senectute mundi venit veritas, ut figura auferretur, & adimpleret legem, non item solueret.]

344. S. Bernardus multus est in hac re, cum ferm. 15. in Conc. in fine, tam sermone 16. sub initium: ubi quod pertinet illi verbi contractio, & quomodo ad vitam mortuo redondandam contulerit, egregie sic expolit. [Non parum fiducia robur prestat mihi, quod magnus ille vir, propheta potens in opere & sermone, de excelso monte celorum descendens, visitatus dignatus est me, cum sim cinis & pulvis; misereri mortuo, inclinare se iacenti, contrahi & coequari paruo, cæco parti lumen oculorum suorum, & os mortui oris proprii osculo solvere, debileque manus fractum robore contactu. Suaviter rumino ista, & implentur viscera mea, & interiora mea faginantur, & omnia ossa mea germinant laudem,] Et mox. [Oculus tuus reiguit meos; interioris hominis frontem clarior luminibus ornans, fide & intellectu, Ori meo iocundum lumen, & mortuo signum pacis impressit: quoniam cum adhuc peccatores essemus, reconciliauit nos Deo, iustitiae mortuos. Os ori applicuit, iterato respiciens in faciem meam spiraculum vitæ: sed sanctior quam primò. Nam primò quidem in animam viventem creavit me, secundò in spiritum vivificantem reformavit me. Manus suas meis superposuit, exemplum præbens bonorum operum, formam obedientiae. Aut certe manus suas misit ad fortia, ut doceret manus meas ad praelium, & digitos meos ad bellum. Et ostendit, (inquit,) puer septies. Sufficiebat ad gloriam manifestandi miraculi, oscitasse semel: sed multipliciter, & insignis numerus, mysterij admodum. Si illud ingens universum, humani generis primum quidem exanime corpus attendas, vides ubique Ecclesiam (ex quo vitam Propheta incumbente recepit,) quasi septies oscitare: quia septies in die laudem dicere consuevit. Denique ut plerisque dimittam, Apud Hildebertum in prosa de natali Domini, rhythmicè in hanc veri Elisei abbreviationem, habentur quamplurima & optimè quoque interpretantur.]

Theoph. Raynaud. Christus.

Effectus Verbi Dei Abbreniati.

355. De ipsa Verbi Dei abbreviatione, plus satis. De effectu autem hanc abbreviationem Verbi Dei consecuto in mortuo, planè concinnè de more Basilii Seleucia orat. 10. his verbis. [Elisæum producamus in medium, & quæramus, cur Sunamidis filium non ad vitam crexerit oratione, ut Dorcadem Petrus: sed pueri cadaueri, se ipsum instratum applicauerit: Nam pueri ori, suum os imposuit, nasum naso aptavit, faciem facie fulcivit, cum pedibus pedes contendit, pectus imposuit pectori, oculis oculos admoovit, parvis denique membris sigillatim applicata Propheta membra vitam conferebant. Cur non orationis præsidio mortuum vitæ restituit, sed seipsum reliquis iniecit? Hac in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt. Quæramus cuius figura fuerit Elisæus, cuius Sunamitis, & Sunamidis filius mortuus. Elisæus, Christi figuram gerit. Populus autem gentium, erat ille mortuus vi peccatorum. Venit spiritalis Elisæus, & universa eius membra mortua deprehendit, os, oculos, manus, pedes, & universè mortuus erat. Os quod ad laudandum Deum non poterat aperiri, sed ligno dicebat: *Pater meus es; & lapidi, tu me genuisti*: mortui oculi, qui in Deum universi non fidebantur: verum prætermisso Creatore colebant creaturam: mortuæ manus, quæ demonibus fructus offerebant: mortui pedes, qui ut adoraretur diabolus, flectebantur. Putridum erat corpus universum, egebat Medico præpotente; Medico qui vel mortuos excitare posset. Venit exquisitus Medicus spiritalis Elisæus, Christus Dominus; invenit corpus mortuum. Quid agat? seipsum totum imposuit toti corpori. Quid est quod dicimus? Tota plenitudo Deitatis, totum nostrum gestavit hominem, In quo habitavit, vel loquitur Apostolus corporaliter omnis plenitudo Divinitatis. Oculos habuit morte hominum, similiter manus, pedes similiter. Imaginarium visum non erat, sed tota res quæ videbatur. Non enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Dei, sed semetipsum exinaniuit formam servi accipiens: Et vita, mortuum gestavit indumentum, ut immortalitate sua mortem commutaret. Cum autem Deitas decessisset in corpus, omnes artus postea sanctificati sunt, & ad usum meliorem traducti. Os quidem doctum dicere: *Domine labia mea aperies; & os meum annuntiabit laudem tuam*. Oculi Dei laudem didicerunt: *Oculi omnium in te sperant; & tu dis escaam illorum in tempore opportuno*. Manus ad Dominum suum expallæ, benedicunt ei noctu: *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino*; Et, *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Pedes in Ecclesia stantes, gratiarum veniunt actione, dum dicunt: *Stantes erant pedes nostri in sancta*. Et iterum: *Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem*. Retulisti laudem à patribus externis profectam: quid ergo internæ? an immunes manserunt? nequaquam. Rursus anima cum intus patribus ad Dominum clamabat: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius*.]

Cautio circa locutiones hinc adhibitas. vsus doctrina.

356. Causis autem, hanc abbreviationem aliquod infirmitati Verbi detrimentum inuicere arbitris. Optimè id amolitur Petrus Cellensis l. de panib. c. 21. his præter cetera. [Fiunt sponsus & sponsa, vna caro, vna anima, & unus spiritus. Sponsus refundit in sponsam]

sam quicquid in se habet dulcedinis, quicquid honoris & potestatis. Denuo mutua vicissitudine in se ipso resumit, quicquid ab ea paupertatis, quicquid amaritudinis, quicquid contumelie est & passionis. Hac commutatione, ipsa proculdubio dicitur, sed ipse non minoratur; ipsa melioratur, nec ipse sua Maiestate priuatur. Nam amarum nostrum, vertit in dulce suum; opprobrium in gloriam commutat; de spinis nostris colligit ficus; de rubro vindemiat vnam; de morte vitam; de passione mercatur gloriam. Sponsus iterum, quia gigas est, magnitudine, sol pulchritudine, leo fortitudine, abyssus scientia profunditate, Deus aeternitate. Sponsa verò puella etate, paruula quantitate; Ethiopissa coloris nigredine, femina debilitate, facta in omni prudentia & arte: Idcirco in thalamo contraxit se, paulo minus minoratus ab Angelis: Exiit se vestimentis gloriæ, accinctus cilicio. Deposuit fortitudinem, circumdatus infirmitate. Abscondit sapientiam, ut (inuentum factus,) in derisum esset tota die omni populo; aeternitatem dissimulauit, factus sub sole, ut quasi cum tempore temporaliter curreret, nec deficeret. Os illud Alissimi, collatum & coarctatum est modicitati oris (ponit: manus tornatiles, quæ cælos tetenderunt, affixæ sunt, manibus vulneratis convulneratæ; pedes pedibus compedibus adhaerent; venter ventri conglutinat est. Res equidem pia, cum infinite immensus abbreviatur ad deiectionem, sed nihilominus mira, cum reparatur ad vnitatem personæ Filij Dei, natura filiorum Adæ.)

Descripsit hanc Verbi Dei abbreviationem S. Bernardus serm. 1. de nativ. Dom. Tum addit fructum quem par sit Christianos omnes ex abbreviati Dei contractione in angustum, colligere. [Ad quid hoc fratres, aut quæ necessitas fuit, ut sic exinaniret se, sic humiliaret se, sic abbreviaret se Dominus Maiestatis, nisi ut vos similiter faciatis? Iam clamat exemplo quod postmodum prædicaturus est verbo: *Disce a me, quia mitis sum, & humilis corde*: Ut verax inveniatur, quid dicit: *Capitulum Iesum facere & docere*. Obsecro proinde, & plurimum rogo, fratres, non patiamini, sine causa iam preciosum exemplat vobis exhibitum esse, sed conformamini illi, & renouamini spiritu mentis vestræ. Studere humilitati, quæ fundamentum est ceterosque virtutum. Sectamini illam, quæ sola potest saluare animas vestras. Quid enim magis indignum, quid detestandum amplius, quid grauius puniendum, quam ut videns Deum cæli paruulum factum, ultra apponatur homo magnificare se super terram? Incolerabilis impudentiæ est ut vbi se exinanivit Maiestas, vermiculus in fletu, & intumescat. Hoc igitur est propter quod exinanivit se, formam serui accipiens, qui in formâ Dei patri æqualis erat.]

CAPVT IX.

Verbum Inequitans.

357. ¶ Insidens humanitati assumptæ tanquam equo diuinum Verbum si exhibere aggrediar, verendum est, ne quos nimbo ante paucos annos, ob huiusmodi comparationem vsurpatam, Lutheræ aduersus P. Franciscum Garassum iphoruissse constat, eos in me deuocem. Pereruditus hic scriptor, mole insignium operum quæ partim iam prodierunt, partim cudenta supersunt, apud æquos lectores clarus, sed morte postea in caritatis ministerio obita longè clarissimus, opus scripserat vernacula lingua, cui titulus est *Summa Theologica*. Quod & verbo in Concionibus, & sermone multiplici, Athæis occultis è Theophili Viandi ganea aere bellum indixisset, tantæ in illud opus clamantium effervere iræ, tot videlicet bruta rum censurarum fulmina vibrata sunt, ut non atro-

cius configi pestilentissimus liber ex Caluini aut Lutheri incude potuisset. Inter ea verò quæ immedicabiliter ægra in eo opere sunt notata, præcipuum, aut de præcipuis vnum, illud fuit, quod obiter Autor lib. 3. tract. 2. sect. 6. Insidens humanitati Verbum, tanquam inuento inequitans exhibuisset. Hunc esse apertum Nestorianismum, quo Diuina personalitas secum in Christo admittit creatam humanitatis personalitatem asseratur, æquè ac equus & equus cui insidet, duo sunt supposita, tanquam exploratum quodque extra omnem controuersiam esse deberet, non ab hostibus modò, sed & ab ijs qui cæteroqui insens non erant, esseque saltem non debebant, passim iactatum, ipsimet vidimus. Et diserte quidem Autor ibidem sect. 2. & alibi insinuat, non esse in Christo substantiam creatam tradit, tamen aded reuera visa est comparatio illa, hinc equitis & equi, inde Verbi & humanitatis assumptæ, ut nullam vel interpretationem vel benignam excusationem visa sit admittere.

Verbum humanitati velut inequitare, Catholicissime dicitur.

358. Hæc reputanti mihi, subije animum egregia illa Bernardi, (vel potius Guilielmi à S. Theodorico) monitio ad fratres de monte Dei. [Intentioni sermone lectio. Si verè in lectione Deum querit qui legit, omnia quæ legit, cooperantur ei in bonum, & captiuat sensus legentis, & in seruitutem redigit omnem lectionis intellectum in obsequium Christi. Si in aliud declinat sensus legentis, omnia trahit post semetipsum. nihilque tam sanctum, tam pium inuenit in Scripturis, quod seu per vanam gloriam, seu per distortum sensum, seu per prauum intellectum, non applicet vel malitiæ vel vanitati. In omnibus enim Scripturis, legentis initium debet esse timor Domini, ut in eo primò solidetur intentio legentis, & ex eo ordinetur & exurgat totius lectionis intellectus, & sensus.] Non agit de Scripturis tantum canonicis, sed vniuersè de quavis inscriptione: & rectè ait, pro affectu legentis fragrare aut putere quod legitur; id quod mihi in hac re est manifestissimum. Et ut præteream insulsiatatem illam de Autoribus, ex vno verbulo neglectis adiunctis pronuntiandi; meritò castigatam ab Eulogio apud Photium Cod. 215. sed illi ipsi comparationi quæ tantopere in inuidiam vertatur insistant, quæ ista non dico equinitas, sed alinitas fuit, similitudinem in Scripturis & Patribus aded protitram, damnare tanquam errore immedicabili & Nestorianismo sordentem? Age igitur & Catholicam, & valde accommodatam esse, hinc equi & equitis, inde humanitatis & Verbi comparationem demonstramus.

Quia Verbum se habet ad humanitatem, ut anima ad corpus, cui velut iumento insidet.

359. Erit cui petenda inde videatur probatio, quod non secus se habeat Verbum ad humanitatem, quam anima ad corpus suum, iuxta illud, *Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo, vnus est Christus*: Quæ comparatio, non modò quoad exurgentem ex anima & corpore substantialem vnitatem valet; (idem etiam est inter Verbum & humanitatem cum sit vtriusque vna substantialis vnio, & ex ambobus illis existat vnum suppositum substantiale;) sed etiam valet quoad alia, ut quoad directionem quam anima corpori debet, & humanitati quoque à Verbo debetur. Item quoad innumera bona quæ ab anima in corpus deriuantur, ut docet mors; in qua apparet quid